

Dissertatio medica inauguralis de cholera Indica / [George William Johnston].

Contributors

Johnston, George William.

Publication/Creation

Edinburgh : P. Neill, 1822.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rdb3zgsc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOLERA INDICA;

AVT.

ADVENTU PRIMO NUMERO.

EX AUCTORITATE REVERENDI ADOCTORUM VIRI,

D. GEORGI HARRIS, SS. T. P.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOLERA INDICA.

GEORGIUS GULIELMUS JOHNSTON,

CHIRUR.

CHIRURGUS.

Hab. in the main entrance, which is the only one.

Amsterdam

CALENDRII APOSTOLI, ROMA, LOCORUM SOLUTIS

1811

EDINBURGH

EDINBURGH: W. HALL

MDCCLXXI

CHOLERA INDICA.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CHOLERA INDICA;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS ;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
GEORGIUS GULIELMUS JOHNSTON,
SCOTUS,
CHIRURGUS.

Huic, ubi cito manus admoveatur, salutis aliqua spes subest.

ARCHIGENES.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXII.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CHOLERA INDICA:

QUAM

ANNUNTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI VIRI,

D. GEORGI BALD, SS. T. P.

ACADEMIE EDINBURGENSIS PRAEPOSITI

RECENS

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI, CONSENSU, ET

HONORARIIS FACULTATIS MEDICAE DECRETIS

PRO OPIA



SUMMISSIO IN MEDICAM ACADEMIAM

DATE ET ALIIS

THEATRO

GEORGIUS BALD, SS. T. P.

SENATUS

CHIRURGUS

Hic, ubi etiam manus administrant, ubi etiam spiritus regit.

ANALYSTES

CALENDARIO AUGUSTI, HORA TERTIAE POST MERIDIEM

EDINBURGH

EDINBURGH

RECEIVED AT A. KELL

MDCCCXXXI

PATRI SUO CARISSIMO

GULIELMO JOHNSTON,

ARMIGERO,

HAS PAGINAS,

SUMMA REVERENTIA,

CONSECRAT

FILIUS AUCTOR.

PATRI SUO CARISSIMO

GUILIELMO JOHNSTON

ARMIGERO,

HAS PAGINAS,

SUMMA REVERENTIA,

CONSERVAT

FILIUS AUCTOR

DISSECTATION
SPECTATISSIMO VIRO,
ALEXANDRO WYLIE, M. D.
COLLEGII REGII MEDICORUM EDINBURGENSIS SOCIO,
DISPENSARII REGII EDINENSIS,
MEDICO PRÆPOSITO
CHOLERA INDICA
&c. &c. &c.

QUEM SUMMA ARTIS APOLLINARIS PERITIA,
MORUM BENIGNITAS, DOCTRINA UNIVERSA,
ÆQUE ILLUSTRAT;

ANIMI PROPTER MULTA BENEFICIA GRATISSIMI,
LEVE QUIDEM SED SINCERUM TESTIMONIUM,

HOCCE OPUSCULUM,
SUMMA OBSERVANTIA,

OFFERT

AUCTOR.

IN SPECIEM

ALEXANDRO WYLIE, M.D.

COLLEGII REGII MEDICORUM EDINBURGENSIS SOCIO,

DISPENSARII REGII EDINBURGENSIS,

MEDICO PRAEPOSITO

CHOLERA INDICA.

&c. &c. &c.

QUEM SUMMA ARTIS APOLLINARIIS PERITIA,

MORUM BENIGNITAS, DOCTRINA UNIVERSA,

ÆQUE ILLUSTRAT;

ANIMI PROPTER MULTA BENEFICIA GRATISSIMI,

LEVE QUIDEM SED SINCERUM TESTIMONIUM,

HOCCE OPUSCULUM,

SUMMA OBSERVANTIA,

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CHOLERA INDICA.

Auctore GEORGIO G. JOHNSTON.

MORBO de quo agendum est, nullus aut celerius occupat, aut ad finem suum lethalem properantius ruit. Nullus utique horrificus magis apparet; quid enim plus terrere potest, quam hominem, ipso ætatis flore nec ullo priore morbo labe factum, subito dirissimis corripitur distentionibus, spumante simul ore, facie distorta, modo florida, modo iterum pallidissima: Oculis porro fixis, sensu externo fere oppresso, nisi suorum cruciabilium tormentorum? Talibus veris miseriis afflicti

sæpe paucas intra horas pereunt, neque ullum est robur ætatis vel sexus iis malis immune. Infantes et senes, juvenes robusti, fœminæ tenerrimæ, perinde hoc morbo corripuntur; atque tam late patet regio quam in India depopulatus est, ut vix aut ne vix quidem proprietas quæquam regionis affectæ assignari potest. Nihilominus per vastas Indiæ Orientalis regiones multo crebrius graviusque sævire apparet quam usquam orbis terrarum, atque quum egomet iis regionibus præcipue morbum viderim, formam solummodo hisce locis peculiarem jam prosequar.

QUÆDAM DE NOMINE AC DEFINITIONE.

Morbus de quo dicendum est, ab antiquissimis ut videtur temporibus, cognitus est, et essentia ejus vel conditio primaria in rejectionibus sursum ac deorsum, cum spasms et virium prostratione, consistit. Regionibus autem Europæis unde omnes morborum antiquæ descriptiones nobis descendere, plerumque bilem in sedibus ostendit; unde a Græcis nomen *χολέραν*, seu Biliosum Fluxum, obtinuit. Sed nec ipsi Græci bilem morbo necessariam esse credidere; quoniam HIPPOCRATES Choleram Siccam memoraverit, quæ nul-

lam habuit exinanitionem alvi; quin huic bilem et vomitiones, et dejectiones, cum torminibus et suffocatione, *supervenire* posse ibidem declarat. (Vide Diæt. Acut. p. 318.) Qualis fuit Cholera *Communis* veterum, historia ex eodem auctore satis ostendet. “Athenis virum Cholera corripuit; vomebatque et deorsum egerebat, et dolebat. Et neque vomitus, neque per alvus secessus sisti poterat; et vox ipsum destituebat: et ex lecto moveri non poterat. Oculi caliginosi ac cavi erant; et convulsiones tenebant ab alvo et intestino, et singultus, verum purgatio multo copiosior erat quam vomitus. Frigidus factus est, vivebat.” Epid. vol. iv. p. 770. Nihilominus hic nulla bilis mentio fit, sed in aliis locis satis conspicue illud signum recordatur. CELSUS, HIPPOCRATIS diligentissimus sectator, idem retinet nomen, ita tamen ut simul fateatur primas evacuationes aquæ similes esse. Quum vero HIPPOCRATES pro vitio bilis habeat, CELSUS quoque hanc excretionem aquosam *bilem* putat. Ab antiquis scriptores, recentes nomen Choleram mutati sunt, et bilis profluvium esse plerumque putaverunt. CULLENUS fere a SAUVAGESIO definitionem suam accepit:

“Humoris biliosi vomitus, ejusdem simul dejectio frequens, anxietas, tormina, surarum spasmata.”

Fallax quodammodo hæc definitio est, nec terrentissimas morbi conditiones comprehendit. Bilis, signum, ut cito ostendere spero, fortuitum, boni semper ominis est in Cholera graviore, sed initio fere absens, sæpe omnino; nulla mentio virium prostrationis fit, quamvis longe periculosissimæ morbi partis; spasmi demum surarum dicuntur quasi hi non omnes corporis partes in Cholera corripere solerent. Uno verbo, ut dicam, definitionem optimi auctoris in pejus transmutavit. Melius quidem definivit vir cæteroquin elegantiae parum studiosus, SAGAR:

“Est syndrome ex vomitu, diarrhœa, gastrodynia, prostratione virium et sub in surarum cram-po.”

Si ego quidem ex propria experientia eam quam vidi Cholerae Indicæ formam definitione comprehenderem, hæc fere verba essent:

“Virium prostratio ingens, extrema frigescentia, spasmi plus minus generales; sæpe cum vomitu ac diarrhœa, per aliquam saltem morbi partem.”

Si morbum ita definiamus, non dubito, quin

Cholera veterum non minus quam *Cholera Morbus*, *Cholera Indica*, *Mort de Chien*, et si qua alia nomina sint, sub eodem capite recenseri possunt, utpote generis communis tantum varietates. Gravissima quidem exempla vomitu ac dejectione carent; aut nisi sub finem morbi non habent: atque adeo non morbus biliosus est, ut bilis dejectio pro signo faustissimo habetur.

HISTORIA MORBI.

BREVIS est nimis signorum Cholerae narratio. Ea enim celeritate aut ad citam mortem aut victoriam lætam deproperat, ut longæ phænomenorum seriei evolvendæ non detur tempus. Quin tanta virium depressio comitatur, ut tempus si produceretur nil nisi vitæ fatiscentis communia indicia monstrare posset. Nunquam vero hæc moribundi ex Cholera signa ipse vidi, quoniam fors ita jusserit ut omnes quos curaverim in valetudinem vitamque redierint; sed tristis medicorum Indicorum experientia per quinquennium abhinc, istam autopsiæ nostræ lacunam nimis abunde supplevit. Quando hic morbus apud

Europæos sese ostendit, sæpe connexionem aliquam inter causam excitantem et morbum detegere possumus. Sed in India Orientali nec causa excitans nec prædisponens conspicua fuit. Sanus, morbosus, valens, æger, robustus, imbecillus, Mahometanus, Indus, vetulus, juvenis, uterque sexus, unumquodque temperamentum, perinde obnoxii existebant. Ex nautis quidem nostris multi vegetissimi simulque fortissimi viri correpti sunt.

Impetum fere prænunciant sensus debilitatis, tremores, nausea, ad vomendum conatus, tandemque vomitus ipse, necnon dejectio humoris aquosi, amylacei, serosi quasi, vel viridescentis. His signis dantur aut comites aut brevi sequelæ distentiones nervorum gravissimæ; quæ plerumque in digitis manuum pedumve incipientes, cito carpos, antibrachia, suras, femora, abdomen, thoracem, faciem ipsam occupant. His confestim accedunt dolor, constrictio, oppressio ventriculi et cardiæ; ingens caloris interni sensus, sitis abnormis, perpetua aquæ frigidæ desideria, quæ tamen non prius sumpta quam rejecta est, cum pituita aliqua, vel liquore albescente, farinam arenaceam aqua maceratam ac suspensam referente. Ingravescente malo, cordis ac arteriarum actio propemo-

dum cessat: saltem apud carpum, tempora, vel maxillæ inferioris angulum, aut omnino non percipitur, aut sensum indistinctum, quasi obscuri cujusdam et incerti motus, præbet. Spiritus laboriosus, rapidus, aliquando cum longa interrupta inspiratione. Cutis frigida, viscida, magnis sæpe guttis sudoris cujusdam algidi et tactu ingrati contacta, cœrulea, livida vel purpurea.

Virium, ut modo diximus, insignis est prostratio, nisi quidem delirium superveniat, (quod in uno exemplo, brevi dicendo, occurrere vidi,) quo casu vires musculorum mirum in modum auctæ videntur. Angor quoque, quam CULLENUS anxietatem dixit, jactatio magna. Vultus collabitur, oculi suffusi, fixi quasi vitrei; vel hebetes, graves, orbitis subsidentes, cum circulis lividis circumdatis; genæ et labra livida exsanguia, tota corporis superficies quasi sensu orba. Vidi tamen quibus vultus sanguine ruberet, oculi mire torvi huc illuc vagarentur, spuma ex ore copiose elaboretur.

In debilibus, auctores sunt medici Indici, quibus impetus vehemens fuit, nec medicina præpeditus, morbus cito in mortem desinit. Vigor cordis et calor animalis nunquam redeunt; vom-

tus autem et dejectio perstant, cum siti ac jactatione: æger delirans vel sensus impotens, oculis sine objecto fixis, et quasi lecto depressus et abditus jacet, spasmi ante quintam vel sextam horam recrudescent et vitam extinguunt. Priore quidem morbo debilitati raro superstites. Nonnunquam, ut in nauta quem feliciter curavi, sanissimos adoritur; sed ex sociis navalibus ii multo sæpius affecti sunt qui vires ebrietate crebra minuerant. Quod ad ordinem, durationem, constantiam et gravitatem signorum supra dictorum, infinita est varietas. Aliquando, ut diximus, spasmi dolores cruciabiles adsunt, nullum vero profluvium. Modo nausea et diarrhœa spasmos præcedunt, modo hos spasmi. Exempla lego quibus confestim fere æger, pauxillo liquoris decoloris sursum ac deorsum rejecto, animam expiravit. Color humoris vomitu excreti plerisque nullus fuit, vel lacteus, multis viridis: dejectiones vero plerumque aquosæ et turbidæ cœnosæ, nonnunquam, sanguinolentæ, paucis pulposæ quasi herbaceæ. Nullis vero sub initio morbi materia fæculenta fuit excreta, et cuidam ex nautis nostris alvus erat adstricta.

Spasmi nullum certum ordinem observant. Modo enim uti supra docui, incipiunt; non raro tamen in musculis abdominis incipere vidi. Æger quidem, si modo loqui potest, semper de dolore trans ventrem queritur: imo venter ipse tactu dolet, plerumque durus et ad spinam retractus. Spasmus semper motu auctus. Ardor ventriculi et alvi semper aderat, aliquando per cardiam et œsophagum ad guttur propagatus. Hic est *Gastrodynia* clarissimi SAGAR. Lingua sicca, arida, alte sulcata, sorde albida, flava, rubra, vel fusca. Os totum aridum et ardens. Capitis dolor super orbitas nonnullis adfuit. Urina primo limpida, abunde secreta; aliquando parca, difficilis, pene omnino suppressa.

Pulsus plerumque æqualis fuit, debilissimus, mollis nec tamen celer, utpote 80 ad 100. Ante mortem paucorum, frequentia aucta fuit ad 140 etiam 150 ictus, distinctos vero, sed parvos, debiles, inæquales. Si quando morbus statum collapsum superaret, pulsus ad solitum vigorem rediret. Hæc fere forma morbi communis est, atque eo tenore pleraque exempla morbi Indici ad finem suum properant. Nihilominus, sæpe auctæ rejectiones penitus absunt. Gravissima quæ vidi

exempla, hujusmodi fuere ; atque vix me contineo quando lego quendam chirurgum navalem BOYLE tales affectus non ad Cholera pertinere docentem. Quæ precor Cholerae essentia est? non utique hæ dejectiones vomitusque ; nam hæ quotidie occurrunt, nec unquam pro Cholera habentur. Non bilis est, quæ vix nisi pro signo salutis apparet ; non spasmi soli, nam hi familiares sunt, ac alia nomina recipiunt. Essentia Cholerae est virium prostratio, cum spasmis et molimine ad morbosam actionem in viis primis, modo ad diarrhoeam et vomitum, modo ad bilis profusiones progrediente, sed sæpe ultra conamina ad has evacuationes non properante. Quo melius hæc notio Cholerae Indicæ comprehendi possit, paucis verbis exempla duo narrabo.

Navem cui medicus fui, Calcuttæ anchoris stantem, ineunte Februario anni 1821, forte tertia hora matutina conscendi, hominemque super tabulatum sub pleno jove dormientem offendi. Illud enim latenter, et injussu præfecti, agere solent nautæ, propter calores inter tabulatas vix tolerabiles, atque musculos vexantes. Juvenis robustus 27 annos natus erat, qui interdum inebriatus vestimentis rore multo matutino madefactis, munera

sua laboriosa peregerat. Jussi lectum infra tabulatum petere. Septima hora matutina exporrectus est spasmis violentissimis musculorum abdominis, qui cito ad omnes alios corporis extensi sunt. Spasmi quidem adeo vehementes erant, ut septem validissimi socii navales hominem continere nequibant. Pulsus apud carpum non percipiendus erat; facies turgida et obscure rubens; oculi ferociter errantes, lingua sordida, spuma ex ore dilabens, spiritus valde laboriosus, sudores frigidi, viscerum, circa collum pectusque; *conamina ad vomendum repetita*, sed præter aëris aliquid nihil excretum, sitis, ingentis caloris in alvo querimonia. Tempore quo ego hominem descendere jussi, algorem subitum, et horrorem per totum corpus expertus est, sed nihilominus cito deinceps obdormiscebat.

Vena utriusque brachii resecta, nullus sanguis profluit. Panni aqua calida madentes ventri indesinenter admoti sunt. Calomelanos grana 25, opii crudi grana 3, per os ingesta sunt. Paucis deinde horæ minutis spasmi mitescere visi; sanguis exudavit, et vulnera super venas implevit. Quindecim minutis sine alia mutatione elapsis, calomelas ac opium repetita sunt; quo facto spas-

mi minus graves evasere, atque sanguis guttatim e vulneribus fluere cœpit, et brevi postea pleno rivo. Spiritus nunc multum levatus, atque spasmi, tam frequentia tam vehementia, rapide decrescebant. Sanguinis unciiis 35 detractis, brachia ligata sunt; atque omnia mala signa evanescere cœpere, ita ut tertia post morbi ingressum hora, homo prorsus restitutus esset, nisi quod valde debilis et animo despondente jaceret. Lingua sordidissima; pulsus 80 *plenus*; ALVUS ADSTRICTA. Olei ricini sesquiuncia fæces liquidas multas nigras dejecit; post cujus operationem, horas decem dormiit. Appetitus nullus, lingua sordida, hoc tempore fuit; jalapæ grana 20, calomelanos 5, data sunt, atque pleno effectu sic ut ultima sedes speciem indueret naturalem.

Postridie idem pulvis repetitus, dejectiones cum bile excitavit. Lingua tunc nitida, appetitus bonus, cutis perspiratio naturalis. Indusio laneo tunc uti jussus, ad munera solita rediit, licet adhuc debilis, sed nunquam postea aliquid morborum conquestus est.

Alterum exemplum in Africano homine occurrit, robusto, 22 annos nato. Signa fere similia erant his jam descriptis. Ante qua-

draginta deinde horæ minuta accersitus hominem, mirabile dictu! omnino sanatum reperi. Constabat socios navales simul atque spasmi corripuissent, re fere lethali territos, magnam portionem alcoholis saccharini (*rum*), cum duobus cochlearibus piperis nigri miscuisse, et homini hauriendam præbuisse. Spasmi confestim abiere. Quo tempore ego quidem vidi satis bono animo erat, atque oleo ricini præscripto, atque alvo plene subducta, intra quintam horam homo ad munia sua obeunda reversus est.

Quicumque has duas narratiunculas probe considerabit, Choleram absque ullo profluvio existere posse, satis facile videbit. Rarior utique morbi forma est, sed apud nautas subinde videnda, nimirum apud id genus hominum, quibus vita ac victus peculiaris alvum fere tardam gignant.

DE CADAVERIS SECTIONE.

DE signis in corpore post mortem conspicuis nihil habeo quod ex propria observatione didici; nec multum quod alii literis tradiderunt. Medici vero Indici cadavera solito citius putrescere credunt. Multis nihil aliud notabile fuit: nisi quod intestina magis pallida et aëre distenta fue-

runt. Patefacto abdomine, odor peculiaris, pessimus exiit. Color intestinorum, in longioribus exemplis roseus vel purpureus; ventriculus liquorem pellucidum, viridem, flocculentum ostendit. Aliis tunicae ejus internae intactae, aliis maculis rubris obsitae; et paucis quibusdam, lymphæ coagulata obtectae. Multis hepar auctum fuit: venae sanguine turgidae. Omnes vero hæc signa pro morbi gradu differunt: et quo rapidior mors, eo pauciores notae ejus in corpore.

DE CAUSIS.

HIS nihil obscurius. Quod ad causas prædisponentes pertinet, supra notavi ebriosos mihi procliviores visos, sed omnes alii fere indifferenter correpti sunt. Nullum quidem corporis vel ætatis genus immune est; quamvis satis verisimile sit, quaecunque vires multum infirment, hominem Cholerae præparare. Itaque socii navales nostri, quando in portum venit, eo facilius afficiuntur quo longior moræ super terram vènia iis data fuerit; hoc est quo longior debilitantibus subjectio.

Libellum Domini BOYLE, quem supra citavi, bona ejusmodi exempla præstat.

Excitantes Causæ etiam prioribus obscuriores. Cholera enim trifariam diduci potest, 1º, Sine evacuationibus, 2º, Cum evacuatione materiæ serosæ, 3º, Cum vomitu, ac dejectione materiæ biliosæ. Ex his ultima forma in India haud aliter quam Europa et Asia Minore, solitaria et sporadica videtur, nec raro a causa manifesta exoriens. Fructus subacidi, Bacchi, Venerisque abusus, frigus utcunque genitum, veluti roribus nocturnis, flatu terrestri, vestitis uvidis, pedibus madefactis; acria ingesta, hoc numero sunt. Sed duarum formarum præcedentium nulla idonea causa hactenus reperta fuit. Inter duas causas medicos hæerere video, nimirum *virus epidemicum* in aëre, *ac contagium*. Priorem sententiam plures, posteriorem Bombayenses medici amplectuntur. Multa sunt quæ utrique sententiæ favent: nec is sum tantas qui lites dirimere coner. Veri haud absimile est, morbum primitus miasmate quodam invisibile generari, postea vero contagione ægrotantium propagari. Illud enim de febribus remittentibus gravioribus multis visum est; et si de uno aliquo morbo verum sit, cur in aliis quoque

non obtineat, utique haud video. Equidem satis constat, naves ad locos morbo laborantes appulsas iterumque discedentes, cito post Cholera affici; ut apparuit in exemplo Topazii navis Bellicæ, cujus nautæ inter Zeyloniam atque Insulam Franciæ, hoc malo gregatim fere affecti sunt, et tandem haud mediocrem suspicionem obiere, contagionem apud Gallo-Indos istos propagandi *. Harum vero rerum fides penes auctores sit.

Quod causam proximam attinet, fere nihil proponendum habeo, auditu dignum. Veteres bilem superabundare credidere, ut ipsum mali nomen indicat: sed bilis sæpe omnino suppressa est, et quando demum apparet, boni ominis est. Hanc theoriam, quam experientia Europæa, et opiniones longorum sæculorum stabiliverant, primum concussit, imo evertit, JACOBUS JOHNSON, vir iis regionibus quidem haud diu versatus, sed viribus ingenii fretus, doctrina plusquam mediocri adjutus, rei fallaciam probe exposuit †. Aliquid tamen humanum ipse passus est; nam quasi malum imperfectum mancumque esset, jam theoria

* Vide KINNIS, Ed. Med. Surg. Journal, vol. 17.

† Trop. Climates, 220,—227.

orbatum, aliam nihilo meliorem substituit. Verba ipsa excito. " The sudden and powerful check to perspiration, the unparalleled atony of the extreme vessels, debilitated by previous excess of action, and now struck utterly torpid, by the cold, raw, damp, nocturnal land-winds, loaded with vegeto-aqueous vapour, and abounding with terrestrial and jungly exhalations, break at once, and with violence, the balance of the circulation. The extreme vessels of the hepatic system sympathising with those on the surface, completely arrest the reflux of blood from the portal, cœliac, and mesenteric circles; hence, in the worst cases, a *total* suppression of biliary secretion, with distention of the abdomen, and shrinking of all external parts. If this continue any time, as in Mort de Chien, death must be the inevitable consequence, notwithstanding the unavailing efforts which nature makes, by vomiting, to determine to the surface, restore the equilibrium of the blood, and of excitability, and, with them, the functions of perspiration and biliary secretion. In proportion, then, as the two latter appear, will the danger be lessened, our most salutary objects attained, and the disease become 'less untrac-

table and fatal.” Hæc autem opinio, ut minus probabilis, sic magis absurda est, quam illa antiqua.

Quis enim docuit, tantas turbas in corpore excitari propter defectum bilis? nemo utique. Ictericis sæpe diu supprimitur sine injuria tam gravi: atque in hepatitide totus apparatus sæpe corrumpitur aut lymphæ conglutinatur, nec tamen cum ullo hujusmodi affectu. Quin natos aliquos absque hoc apparatu lego, tamen aliquamdiu vitales, et certe non Cholera demum extinctos. Sed si nihil ejusmodi unquam visum fuisset, conjectura ingeniosi viri probatione eget.

Nec majore dignitate sunt illa, quæ de æquilibrio nescio quo sanguinis interrupto, proponit. Sæpe enim id fieri in febris intermittentis initio, ac multis morbis, videmus, sine tamen Cholerae signis. Sæpe frigus idem efficit, nec nisi diarrhœam mucosam gignere videtur. *Circulos* ejus imaginarios *Portalem, Cœliacum, Mesentericum*, ut argumenti laborantis subterfugia nihil moror.

Ex toto, hæc sententia vix minus inepta est, quam ea nuper abrogata. Hæc enim claudicat, bilem, ubi nulla est, suspicans; illa, bilem ubi

adest, denegans. Cholera enim Europæa, *bilis ab initio* plerumque exundat; neque sine solœcismo, aliquis abesse confirmaret. Quinimo, licet bilis non vomitu vel sede rejiciatur sub Cholerae initio, etiam fine apparens bono sit omine; minime tamen sequitur bilem tum non *secerni*. Potest enim incarcerari in hepate, etsi probe secreta; ut CULLENUS docuit, 1818, 1819. *prim. lin.* et BAILLIE, *Morbid. Anat.* p. 256, modo spasmò, modo ductus concretione. Atque etiam si non secreta fuerit, jam monstravimus non constare tantas virium vitalium turbas esse secuturas. In dysenteria sæpe nulla secerni bilis apparet*, tamen nihil tam grave patiuntur dysenterici. Cur autem tam diras ederet tragædias in Cholera, eadem res quæ in dysenteria pene innocua est?

Neque unica est horum morborum similitudo, nam sæpe sublevatur dysenteria, bilis effusione; at-

* "The regular perspiration is suppressed, and the healthy secretion of bile entirely stopped." JOHNSON on Trop. Clim. p. 202.

que sæpe, auctore SYDENHAMO *, SINE ULLIS SEDIBUS dysenteria grassatur.

His rebus sedulo perpensis, adductus sum ut crederem, bilem nihil omnino ad Choleram attingere; nec auctam, nec minutam, nec etiam suppressam. Porro vehementer suspicor, omnes tres supradictas ejus varietates nihil esse nisi *Colicam quandam*, a colica spasmodica magis propter regionis ac tempestatis varietatem, quam abditum mali ingenium, differentem.

Iis enim regionibus calidis cutis actio et secretio immensæ sunt; atque quicquid has subito suppressit, alvum, utpote organum consortio arctissimo conjunctum, necessario perturbabit. Hinc colicam, choleram, dysenteriam, solitam ejus progeniem perpetuo grassari videmus. Nunc signa morbi colicam referunt, spasmis, debilitate, subita lethali terminatione. Quin spasmus intestinorum, facile omnia explicat. Namque primo gravis, ductum choledochum communem claudit, deinde relaxatus, bilem fluere sinit, quæ ideo signum salutis fit. Liquor tenuis initio ejectus,

* Morb. Acut. § iv. cap. iii.

effectus est auctæ exhalationis in alvum, propter minutum sudorem, haud aliter ac in Europa, diarrhœa mucosa inde subsequi solet. Spasmi fiunt ob consensum, obscurum quidem, sed in colica communi evidentissimum. Debilitas, ut dixi, et mortes, utrique communes. Hæc Cholerae notio, pallorem intestini post mortem pariter explicat.

DE PROGNOSI.

PRÆSAGIUM bonum est si bilis fluat ab initio, spasmi nulli, vires parum affectæ. Cætera omnia mala sunt. Melius quoque erit, si medicus fuerit advocatus; id quod, fere bis mille annorum abhinc notavit prudentissimus CELSUS.

DE DIAGNOSI.

COLICA, Diarrhœa, Dysenteria, cum Cholera confundi possunt.

Colicam jam supra nisi gradu non differre scripsimus. Vulgo tamen *Colicam* vocant, si alvus

adstricta sit, nec quidquam infra demittat. Hanc autem morbi conditionem nimis vagam puto, neque morbi ingenium satis notare. “Colica Siccæ” (*dry belly-ache*) Indiæ Occidentalis, in signis suis parum omnino differt a Cholera Indica; atque vulgo hominum, “Mors Canis,” uterque indifferenter appellatur; attamen nemo Colicam siccam, Choleram inverse nuncupavit.

Diarrhœa—facile dignoscitur, absentia vomitus, spasmodum, debilitatis corporis cordisque.

Dysenteria—sub initio febrem habet, et dolores abdominales, licet graves, nunquam ad spasmos musculorum externorum progrediuntur. Alias Choleram nonnihil refert, atque ejusdem familiæ habenda est.

DE CURATIONE.

CURATIO ad causam proximam, et morbi prioris experientiam, respicere debet.

Atque in Cholera, causa quam posuimus, omnino cum curatione usurpata convenit; nam sanguinis missio, calomelas, opium, balneum calidum, vesicatoria, fomenta, ipsissima remedia sunt,

quibus in Colica urgentiore, hodie per totum orbem terrarum, medici utuntur. Etiam HIPPOCRATES* ipse ad "Cholera siccam" suam, balneo et fomentis utebatur; atque jam satis crebra experientia docemur, intra illa remedia omnem spem salutis ægri consistere.

De his igitur sigillatim agere animus est.

1. Sanguinis missio princeps auxilium est, sine enim ope hujus, in gravioribus exemplis, cura sæpe esset frustrata. Spasnum enim potenter solvit, et congestionem atque impetum humorum ad intestina alio divertit, et dissipat. Hinc fluxum muci in alvum, et bilis in duodenum fovet; quæ res, si non causa, saltem signum salutis redeuntis sunt. Nihilominus, non hæc dico quasi, solum remedium esset sanguinis missio; nam alia quoque spasnum liberare posse, facile recipio.

2. Calomelas eodem modo agit, atque jam diu celebre fuit confugium in morbis inflammationem habentibus; utpote quod sanguinis motus æquet temperetque; æquilibrium vero, siquando perturbatum, restituet, bilem aliquo modo subsistentem eliciat, reseret, spasnum solvet.

* Diæta Acut. LXII. p. 318.

3. Opium insigni vi solvendi pollet, ideoque multis morbis, imo omnibus fere spasmodicis, adhibetur. Ante omnia alia in Cholera profuit, atque tam proprio Marte, tam aliorum usu compertum habeo, hoc et calomelane solo, Choleram sæpe bene curari posse.

4. Balneum vero calidum ac fomenta, insigni laude digna æstimo, utpote quæ spasmus laxent, sudorem et sanguinem ad cutem revocent, vires naturæ malo cedentes refocillent, fluxum denique sanguinis, et effectum aliorum remediorum expediant. Vidi quidem, quibus ut credo, omnia cætera frustra fuissent, nisi his una admotis.

5. De vesicationibus nihil habeo quod dicam, nisi quod raro his expediendis tempus detur.

6. Jam supra ostendi stimulantia in ventriculum ingesta, aliquando Choleram momento fugare. Plura tamen exempla deficiunt.

Postremo, spasmo superato, vel mitigato diluentibus, haud aliter ac Cholera Europæa ad sanitatem producenda est.

F I N I S.